Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

in Mon. D. Ett. ... Biblia manualis doctrina caelestis ... de verbo ad verbum scripturis s. desumpta - Cod. Ettenheim-Münster 245

Bulffer, Gervas

[S.l.], 1765

Prologus

urn:nbn:de:bsz:31-127779

Visual Library

Prologus.

Sapientia ad ſui amplexum invitat.

Prov. c. 1. v. 20. Sapientia foris prædicat,
in plateis dat vocem ſuam.
v. 21. In capite turbarum clamitat,
in foribus portarum urbis profert verba ſua dicens:
v. 22. Usquequo, parvuli diligitis
infantiam, et ſtulti ea, quæ
ſibi ſunt noxia, cupient, et imprudentes odibunt ſcientiam?
v. 23. Convertimini ad correptionem
meam: en! proferam vobis ſpiritum meum, et oſtendam vobis
verba mea.
c. 2. v. 1. Fili mi! ſi ſuſceperis ſermones
meos, & mandata mea abſconderis penes te,
v. 2. ut audiat ſapientiam auris tua,
v. 9. Tunc intelliges juſtitiam, et
judicium, & æquitatem, et
omnem ſemitam bonam,
v. 5. et ſcientiam Dei invenies.
v. 11. Conſilium cuſtodiet te, et prudentia ſervabit te.
c. 3. v. 14. Melior eſt acquiſitio eius negotiatione argenti, et auri, primi,
& puriſſimi fructus eius:

IV

v. 15. pretiosior est cunctis opibus: et
omnia, quæ desiderantur, huic non
valent comparari.
v. 16. Longitudo dierum in dextra eius,
et in sinistra illius divitiæ et
gloria.
v. 17. Viæ eius viæ pulchræ, et omnes
semitæ eius pacificæ.
v. 18. Lignum vitæ est his, qui appre-
henderint eam, et qui tenuerit
eam, beatus.
c. 8. v. 14. Meum est consilium & æquitas,
mea est prudentia, mea est
fortitudo.
v. 15. Per me Reges regnant, & legum
conditores decernunt.
v. 16. Per me Principes imperant, et po-
tentes decernunt justitiam.
v. 18. Mecum sunt divitiæ & gloria,
opes superbæ & justitia.
v. 19. Melior est enim fructus meus auro,
& lapide pretioso, & genimina mea
argento electo.
v. 20. In viis justitiæ ambulo, in medio
semitarum judicij,
v. 21. Ut ditem diligentes me, & thesauros
eorum repleam.
v. 32. Nunc ergo filij audite me. beati,
qui custodiunt vias meas.

V.33. audite disciplinam, et estote sa-
pientes, et nolite abjicere eam.
V.34. Beatus homo, qui audit me, et
qui vigilat ad fores meas quotidie,
et observat ad postes ostij mei.
V.35. Qui me invenerit, inveniet vitam,
et hauriet salutem à Domino.
V.36. Qui autem in me peccaverit,
lædet animam suam. omnes, qui
me oderunt, diligunt mortem.
C.22. V.17. Inclina ergo aurem tuam, et
audi verba sapientium: appone
autem cor ad doctrinam meam,
V.18. Quæ pulchra erit tibi, cùm ser-
vaveris eam in ventre tuo, et
redundabit in labiis tuis:
V.19. ut sit in Domino fiducia tua,
unde et ostendi eam tibi hodie.
V.20. Ecce descripsi eam tibi tripliciter
in cogitationibus et scientia:
V.21. ut ostenderem tibi firmitatem,
et eloquia veritatis, respondere
ex his illis, qui miserunt te.
Eccli. C.51. V.31. Appropiate ad me indocti, et
congregate vos in domum disciplinæ.
V.32. Quid adhuc retardatis? et
quid dicitis in his? animæ vestræ
sitiunt vehementer.

VI

Prov. c. 5. v. 21. Reſpicit Dominus vias hominis,
et omnes greſſus eius conſiderat.
v. 22. Iniquitates ſuæ capient impium,
et funibus peccatorum ſuorum
conſtringitur.
v. 23. Ipſe morietur, quia non habuit
diſciplinam, et in multitudine
ſtultitiæ ſuæ decipietur.
Prov. c. 7. v. 1. Cuſtodi <u>ergo</u> ſermones meos,
et præcepta mea reconde tibi.
v. 2. Serva mandata mea, et vives.